

Hosce locos, quibus ex dubitatione verum et falsum eliciatur, ex enumeratione alienarum opinionum earumque confutatione propriae sententiae constituentur: ex disputatione vel adversarius vincatur vel ipse in contrarium non adducatur, Plato non
 5 ignoravit, nam 7. Reipublicae scriptum est de hoc usu postremo:¹⁰ *Non enim videntur tibi in his efficaces dialectici esse?* Et mox:¹¹ *Sed iam dixi non potentes quidam dare et recipere sermonem.* De hoc tertio usu intelligens, sed clarius in Sophista:¹² *Et mihi duplex apparuit quidam, alium^{iv} quidem publice et longis sermonibus ad multitudinem potentem ironice loqui perspicio, alium privatim et brevibus*
 10 *sermonibus cogentem suum collocutorem contraria ipsum sibi dicere.* Hoc autem fieri interrogationibus non multo post docet:¹³ *Quod vero in privatis et concisis interrogationibus ad responsiones, num debemus vocare aliud quam contradictorium?*

15 Duos autem illos usus opere ipso docuit, nam Euthyphrone, Euthydemo, Protagora, Gorgia, primo Rei publicae aliorum opiniones et refert et confutat, quod aliqua ex parte et in Phaedone et in Theaetete facit, dum Anaxagorae, Parmenidis ac Melissi sententias quasdam redarguit. Priorem quoque usum ex dubitatione elicit reliquo Theaeteto, Lachete, Charmide, Menone et aliis
 20 plerisque. Optime ergo Plato ante Aristotelem seu Eudemum tres dialecticae usus et cognovit et exercuit longe efficacius, quam tota sua philosophia Aristoteles.

¹⁰ οὐ γὰρ που δοκοῦσί γέ σοι ταῦτα δεινοὶ οἱ διαλεκτικοὶ εἶναι. [PLATO, R. 531.d.9 – e.1]

¹¹ Ἀλλὰ δὴ [Ἀλλ' ἤδη], εἶπον, μὴ δυνατοὶ οἵτινες [δυνατοὶ τινες] δοῦναί {τε} καὶ ἀποδέξασθαι λόγον. [PLATO, R. 531.e.4 – 5]

¹² καὶ μοι διττῶ [διττὸν] καταφαίνεσθόν τινε· τὸν μὲν δημοσίᾳ τε καὶ μακροῖς λόγοις πρὸς πλήθη δυνατὸν εἰρωνεύεσθαι καθορῶ, τὸν δ' ἰδίᾳ τε καὶ βραχέσι λόγοις ἀναγκάζοντα τὸν προσδιαλεγόμενον ἐναντιολογεῖν αὐτὸν αὐτῷ. [PLATO, Sph. 268.b.1 – 5]

¹³ τὸ δ' ἐν ἰδίῳις αὐ καὶ κατακερματισμένον [κατακερματισμένον] ἐρωτήσεσι πρὸς ἀποκρίσεις μῶν εἰθίσμεθα καλεῖν ἄλλο πλὴν ἀντιλογικόν; [PLATO, Sph. 225.b.8 – 10]

^{iv} Corr. ex alius